

Christe confusæ medicina mentis,  
dulce solamen, requies amica\_,  
suavius nomen teneris Sicanæ floribus Hyblæ;  
Mole noxarum coopertus atrâ  
quò gemens ibo veniam precatum?  
me nisi occurrens miserum sereno lumine cernas.

Pulcerimos reddit contaminatissimos peccatores, quia lux ipsius est omnium pulcerima, quod omnes sui partes (si ita loqui liceat) sibi semper & ubiq; habeat quam simillimas: Deus enim est, & non mutatur, Homo purissimus est, & macula in eo non invenitur. Unus lucis ictus in tantum diffunditur, ut totius mundi spatium in uno momento repleatur. Provoco ad oculos faciei. Christi gratia undiquaq; diffunditur, qua Eos & Hesperus terminatur Psal. CIII. & XXXVI. & CHX). Provoco ad oculos fidei. Κάλλισον γέτο τὸ φῶς: quæcunq; studia atq; opera hanc lucernam oluerint, optimè olebunt coram Deo, cœtu angelico & piorum omnium concilio. Est enim lumen sapientie, lumen justitiae, lumen gratiae. Sapientia illa non nascitur in capite fictitij Jovis, ut eam Volcanus exterebret, sed in corde æterni Patris, ut eam Filius fratribus suis impetraret. Qui-cunque ab hoc sole justitiae illuminantur, horum facies resplendent instar Cherubinorum & Seraphinorum, & conversatio sancta innocentiae puritate instar nivis excandescet. Sol hic plenus est veræ gratiae, pacem multiplicans & spem accendens, ut moveamur ac progrediamur de virtute in virtutem. Profectò quod sole est in cœlo, ratio in homine, oculus in capite, gubernaculum in navi, auriga in curru, hoc est in nobis lumen gratiae divinae. Hæc divina gratia roris similis est: hic tellurem humectat, illa mentem irrigat. Floris similis est: hic arborem decorat, hæc animum exornat. Fonti similis est: ut enim aqua hujus fôrdes corporum purificat, ita illius latex conscientiae maculas expurgat. Ponti assimilatur: eo quidem profluentes transimus, sed hæc infernales fluvios evadimus. Clavi quoque: hæc seras & fores recludit, illa cœlos aperit. Egredimini ergo Noctigenæ ex tenebris vestræ inscitiae, egredimini & ex-